



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Svcqvet E Societate Iesv Via Vitæ Æternæ

Sucquet, Antoine

Antverpiae, 1630

Cap. 62. Exercitiu[m] post meditatione[m].

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54856)

bono, & particula boni diei non prateribit me ut in aeternum amodò jam dicat spiritus ut requiescam à laboribus istis. Amen

I A C V L A T O R I Æ.

- Pfal. 131. **S**i dederò somnum oculis meis & palpebris meis dormitacionem, & requiem temporibus meis, donec in veniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.
- Pfal. 17. In viâ tuâ Domine non progredi, regredi est; pone ergo pedes meos quasi cerorum, & super excelsa statuas me.
- Matth. 20. Quid faciam quando vocabis operarios, ut reddas eis mercedem suam? ut quid terram occupo terram Sanctorum, & non video tibi frugen in tempore suo?
- Lucæ 8. Retriusue seruo tuo, vivifica me, & custodiam mandata tua.
- Bernard. Quàm mitius me privares ô amara mors vita tui quàm fructu, quem tibi ô IESV, debet terra anima mea!
- Pfal. 57. Obsecro te, amantissime IESV, per labores & sudores tuos, da mihi pennas sicut columba & volabo, & requiescam in te spes mea.
- Thren. 3. Quamdiu vixero, memor ero laborum quos sustinuisi in predicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in jejunando, vigiliarum in orando, lacrymarum in compatiendo & recordabor etiam dolorum tuorum.
- Bernard. Nonne sicut avis ad volandum, sic homo natus ad laborem? & adhuc querimus requiem? nonne scio iudicia tua inscrutabilia, quia habenti dabitur, & à pigro auferetur talentum suum?
2. Cor. 4. Quàm momentaneum & leve tribulationis nostra aeternum gloria pondus operatur in nobis!
- S. Ambros. Amor tuus ô IESV, non est otiosus, operatur enim magna si est, & si operari recusat, amor non est.

CAPVT LXII.

Exercitium post Meditationem.

Gratias age
pro audien-
tia.

Primò, gratias age Deo pro dono orationis, quòd infinita majestas dignata fuerit te ad sui conspectum, ad colloquium admittere, & distractas orationes ac laudes non aspernari, etiam si sit in medio cellis aulae suae, & nuptiali convivio, quod fecit Rex filio suo, inter Angelorum ac Beatorum laudes & hymnos, quodque cum iiste clementer audire non recusaverit: & generatim pro omnibus beneficiis. Secundò, considera

considera defectus admissos in Meditatione, quomodo pane cælesti, & mannâ piæ orationis ac meditationis confirmatus, non tantum eos, sed & alios (qui breviter in memoriam revocandi, ac detestandi) vitabis; maximè tamen illum defectum, quem in perfectionis progressu potissimam esse remoram advertis, ac per examen particulare studes expugnare. Tertio, considera breviter quæ tibi agenda illo die, eaque Deo offer, ac debitè ordina. Quarto, prospice quæ accidere possint adversa, & animum resignatione insigni ad ea compara. Est verò ejusmodi exercitium brevier, ut ratio ipsa dicat, & utiliter post meditationem pro recollectione tantummodò perstringendum; nisi tamen infelix meditationis successus suadeat diutiùs immorari, & sic illum defectum supplere: quod quàm commodè eo pacto fiat, usus ipse edocebit. Itaque cum hanc utilitatem, & alias complures habeat, fusius de eo supra dictum est. Siquidem illa quatuor puncta complectuntur in super modum utiliter meditandi, seu potiùs recolligendi, & renovandi vitam, modum item incumbendi, & faciendi examen, surgendi manè, sese præparandi ad Sacramentum Pœnitentiæ & Eucharistiæ, audiendi Sacrum, &c. ut pluribus expositum est supra.

*Considera
qua agenda
& que pati
enda.*

*Quomodo
defectus sup
pleri queat.*

Exercitium brevius post Meditationem.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in celo & in terra? Tunc Rex regum, & Domine dominantium, dignaris me respicere, & audire & alloqui, qui sum pulvis & cinis? Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus: benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus: sed serviamus illi in corde perfecto, & induamur Dominum JESUM Christum in omni cogitatione N. verbo N. & actione N. tollamus crucem ejus, & sequamur eum. O dulcissime JESU, suscipe, queso, hoc desiderium meum, & omnia mea manibus B. Virginis

Psal. 102.

matris tuae, in unione omnium meritorum tuorum, & fac de me secundum sanctissimam voluntatem tuam. Ex te enim, & in te, & pro te sunt omnia, Deus meus, cordis mei, & omnia. Amen.

Exercitium brevius post Meditationem.

Contritio.

EHEU! Domine, unicum auxilium meum, Rex regum, & Domine dominantium, ego cinis & pulvis in tot periculis constitutus, quam frigidè & distractè, ob negligentiam custodia sensuum meorum, & cordis mei, tecum locutus sum coram curiâ tuâ universâ, quæ toto corde te laudat, sicut & anima omnes justæ ac verè religiosæ. Miserere mei infantis, omnium egeni, & valentis in summis periculis, patris sui, patris misericordiarum, tuam, dulcissime IESV, opem implorare: & suscipe si quid boni feci, gratiâ tuâ, in unione meritorum, vitæ & mortis tuæ, B. Virginis & Sanctorum tuorum, maximè eorum quos in patronum delegi, dispone de servo tuo si uti tibi visum fuerit; sive consolari libeat sive relinquere me; tua voluntas fiat: dignus verè sum, si me respicias, quem relinquant; sed, si te, & vulnera tua, erit unde non despicias, ut sit misericordia tua super omnia opera tua.

Humiliatio.

Oblatio.

Resignatio.

Propositorum renovatio.

Confidentia in Deo, Diffidentia sui.

3. Reg. 6. Iudith. 9.

Rom. 12. Iacobi 1.

O Domine, da mihi gratiam, ut quod me docuisti, Pater benignissime, ad salutem & solatium anime meæ, pro amore tuo & infinitâ charitate, promptè exequar, cum manifestè cognoverim voluntatem tuam. Tu scis, tu scis qui nosti omnia, ardens desiderium meum quodq; abominer has imperfectiones meas, & voluntatem propriam, carnemq; gravissimum hostem meum: verum, nisi miseratio tua magna sit, peribo utique in infirmitate meâ; ideòq; tu es spes & fiducia unica mea: quomodo enim mihi qui nihil sum, & nihilo pejus, confidere poterò? Vilis cerè & miser sum, sed vilior fiam, atque humilis ero, saltem in oculis meis, quia humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. Vilis etiam haberi optabo, & opto, delicias mundi speruere & in presentia tua ambulare, Superioribus meis obedire sicut tibi, proximum amare propter te, maximè adversarium, ne sim sicut Ethnicus & Publicanus, qui solùm diligentes se diligunt. Quis mihi det ut possim carbones ardentes beneficiorum congerere super caput ejus propter te, ut sim verè filius tuus? Tu

solus

solus dare potes, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit. Da mihi, obsecro te, ô Pater, ô Deus meus, gratiam ut emendem has imperfectiones meas N. & omnia mea opera N. perfectè, sicut proposui faciam ad maiorem gloriam nominis tui; ne considerationes hæc atque exempla, tum tua, tum Sanctorum, cum tot exhortationibus & mediis, mihi in die iudicii sint in singultum & in dolorem tibi, quòd toties me visiteris, & visitatio tua non custodierit spiritum meum; quòd toties me paveris, & non sim saturatus, toties vitam dederis, & panem vite æternæ, & tamen mortuus sim. Verùm gratiâ tuâ vivens, vivens ipse confitebor tibi, laudabo nomen tuum, & exaltabo misericordiam tuam, & amabo bonitatem tuam sincero corde, ex nunc & in æternum. Sed si te amo, quid spero, & toto corde opto, nõnne libenter pro te ista pati debeo? ideo ex nunc accepto omnia adversa de manu tuâ N. & amplector cruces, mortificationes, dictèria, ut tibi similis sim, & Sanctis tuis; ut pro peccatis meis satisfaciam, ut te perfectè, ô bonitas infinita, amem ex totâ animâ meâ. O utinam digneris te ponere ut signaculum super cor meum, ut signaculum super brachium meum, ut nemo mihi deinceps molestus sit, & sciant omnes quia tuus ego sum, & tu meus; utinam digneris mansionem apud me facere, uti desidero desideras hoc pascha mecum manducare, & quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita etiam desideret anima mea ad te, Deus. Quando id dabis mihi? quando pro infinita misericordia me agrum, & pauperem, & miserabilem trabes ad te ipsum, qui es salus, & potentia, & felicitas nostra, & recipies in æterna tabernacula? Quando introduces me in domum Patris tui? quando, ô bone Iesv, introibo in potentias Domini mei, & videbo, & considerabo de magnitudine atque abyssu charitatis tuæ mirabilia tuæ? Amen.

Applicatio
ad Com-
munionẽ.

Resigna-
tio.

Cant. 6.

e. d. u.

Recollectio mentis in Deum post Meditationem, vel in eâ, vel ante sacrum, vel post illud.

Præsentia
Dei.

Attende in
omnibus
Deū, ejus
que perfe-
ctiones.

Actus
amoris.

Applicatio
ad Com-
munionē.
Caat. 2.

INTVEOR calum & terram, & animam meam, & plera
omnia Majestate tuâ. O quàm mihi gratulor & gaudeo, dum
video me quasi in medio tui, ô Deus, ô charitas ô ignis semper ar-
dens: & meritò exclamo: Magnus est Deus & laudabilis nimis,
& magnitudinis tuæ non est finis. Vidi eum, & salva facta est
anima mea, vidi te hodie dulcissime IESV; imò video ubique te,
& mirabilia opera tua, & anima mea cognosceret nimis. In his
enim omnibus quæ coram me sunt, te video magis, & amo quàm
ipsa, & ineffabilem charitatem, sapientiam potentiam, & boni-
tatem tuam video, & si volo, ecce teneo te, & amplector ultra
anima mea ô amor! ô oceane bonorum omnium, si volo ecce te
tâ mente mergor in te, & undique circumdas me miserum &
miserrimum, ac beatum facis si volo amare te solum, & alia non
nisi propter te, & in te Volo & toto corde te amo, nihilq; capio
extra te, cùm in te habeam omnia: nihil timeo extra te, quia non
sines me tentari supra id quod possum, imò custodis me ut pupu-
lam oculi tui.

O pelagus immense felicitatis, ô IESV, respice quæso in me,
nam abyssus nihilitatis ac miseria mea voce grandi & clamore
valido invocat abyssum immense charitatis tuæ: quanto affectu
filius prodigus in exilio & deserto hoc te Patrem misericordiarum
invocet, quanto pauper & inops, & in mille periculis eter-
nae desolationis constitutus te Deum totius consolationis, tu nosse
qui scrutaris corda & renes, quo ardore vel potius tepore, tu nosse
ô amor & ignis consumens, ô ignis qui semper ardes, quot &
quantis me beneficiis accendis? si quando me respicis quàm su-
viter aduris? maximè quoties ad me venis in Ven. Eucharistiâ,
ut inflammes frigidum cor meum. Idèd enim venis in terram
hanc, & vallem lacrymarum animam meam, ut ignem mittas
in eam, & vehementer accendatur, & consumat me, ut sim quasi
non sim, in quo eram cùm non essem, & quiescam in te vita mea.

ut vivam & movear in te, imò tecum unum sim, ut tu & Pater
unum es.

Outinam id mihi contingat! & de te uno ac gloriâ tuâ solli- Resigna-
citus sim, & de me omnem in te projiciam sollicitudinem tio.
meam. Tu enim sollicitus eris de me, si ego non fuero nisi de te. Et
verò de quo sollicitus esse possim? Estne aliquid quod extra te aut
præter voluntatem tuam, volo aut spero aut sperare possim, cum
sciam nihil esse omnia, & tu mihi sis omnia? solus dignus es ac- Apoc. 4.
cipere gloriam, honorem, & benedictionem; & ante omnia o-
mnium amorem, minùs enim te amat, qui tecum aliquid optat
aut amat, aut perdere formidat, cum in te omnia habeat, & tu
sis in medio cordis nostri, vel potius nos in medio cordis tui. Cla- Isaia 46.
mas enim: Audite me domus Jacob, qui portamini à meo utero. Vndique
circundas me enim & nutris me, & protegis sub umbra alarum nos Deus
tuarum; neque accedere potest ad me malum, nisi per te, ut sic lo- circumdat,
quar transeat, qui stis super custodiam meam, & contemplaris
me in omni loco, & velut scuto circumdas me, ut flagellum non
appropinquet tabernaculo meo.

Quòd si tamen accesserit malum per te qui cingis me, & es
omne bonum, & bonum tibi videtur ut patiar, idq; sit ad glo- Oblatio
riam tuam, & secundum voluntatem tuam: bonum mihi est & sui.
valde bonum, tuus enim sum ego, tibi vivo & moriar, omnia si Galat. 2.
quidè & me propter te ipsum fecisti, & propter me, atq; aded
mortuus es, ut vivam ego jam non ego, tu autem vivas in me
Christe JESU, & ego in te, & omnia mea passiones sensus N. &
actiones N. sic hodie componam secundum exemplar monstra-
tum à te in te mismo per misericordiam & gratiam tuam, cum
sine te nihil possimus facere, nihil simus extra te. O pelagus inex-
hausta bonitatis, ex quo omnia fluunt, & in quod refluunt uni-
versa.

Flumina ex te quatuor manare video ò Paradise deliciarū. Flumina 4.
Primum est sacratissima humanitas tua ò Christe JESU: secun- paradisi.
dum gloriosissima Mater tua, & Angeli, & nos miseri mortales,
& omnis creatura: tertium, innumera beneficia quibus has &
me sustentas & perficis: quartum, innumera mala quòd ea
avertere digneris à me servo tuo, ò fons domus Jacob, quante
fluunt

Tob. 10.

fluunt ex te aqua consolationis, & miserationum, quāto impetu de Libano! In te ergo omnia habentes, quomodo possumus te derelinquere? Idcirco gaudens gaudebo, & letabor in te, inebria me ex abundantia tuā, ut sincerè te solum diligam, qui solus bonus es, solus dignus amari in omni quod videre vel audire, gustare, vel quo frui aut solatium capere possum: desiderare nescio nisi te IESV, quem diligo, & cui me toto corde committo.

Curiosita-
tis abnega-
tio.

Scire non cupio quid facturus sis publicè aut privatim, aut de me, ò sapientia & bonitas infinita. Nihil sollicitus sum, quid futurum, quid dicturi aut facturi homines; incertæ enim providentia nostra: & tu solus attingis à sine usque ad finem, fortiter & suaviter omnia disponis; curas me ac si solus essem, solamq; mei curam gereres ab aeterno. Ab aeterno enim amasti me, & cum habitares lucem inaccessibilem, & in splendoribus Sanctorum ageres beatus, memoria memor fuisti, & miseratus es exulem me, recordatus misericordie tue, descendisti à summo calorum usque ad inferiora terræ, ut quia nemo ascendit, nisi qui descendit, per te ascenderem ò vita mea, qui per me in mortem descenderam, & in lacum profundum.

Providen-
tia Dei sin-
gularis.

Ioan. 3.

O Deus meus, unde hoc mihi ut veneris ad me? unde ut inter innumeros pereuntes unum evocaveris, selegeris, quem servares & amplectereris, & ne sic loquar, amares (obstupescite celi, obstupescite) plusquam te ipsum; & operareris salutem meam in medio terra, triginta tribus annis, & in laboribus plurimis à juventute tuā, & poteris aliquando derelinquere me? & operi manuum tuarum non porriges dexteram? dies illi pauci sunt visi tibi, & parvi præ amoris magnitudine. Unde hoc mihi: unde illa tibi charitas, nonne tibi benè erat sine me? erat equidem nisi quod tecum non essem, ideo descendisti ut assumeres me ad te ipsum, & eructares abscondita à constitutione mundi, & ignitum eloquium tuum vehementer sonaret in auribus cordis mei.

Spes in
Deo.

Quid dicam servus tuus & filius ancillæ tuæ, & tanquam nihilum ante te, utinam nihil mihi dulce sit extra te infinita suavitas, utinam omnia præter te amara mihi sint, utinam videam te solum, et audiam loquentem ad cor meum: Ex corde enim

enim & corde tuo verè ardenti loqueris mihi, in quo video nomen meum scriptum ab aeterno. Sicut etiam est in manibus tuis, noli, obsecro, te, piissime IESV, me delere de hoc libro vita; noli permittere, ut me rapiat aliquis de manu tuâ, & memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti. Psalm. 118.

O quomodo coarctor donec perficiatur illa in me! idè deficit cor meum, & caro mea, & languerunt oculi mei, veni & descende in hanc vallem lacrymarum, spes mea, & fortitudo mea. Venisne bone IESV? & nullenis viis per Sacerdotum manus, etsi impuras ad me properas ut sis mihi cibus, mihi vermi, & non homini, & potus suspiranti & sitiienti ad te fontem aqua viva? Quin igitur bibo & inebrior? quid ultra sitio & perdere metuo, qui verè omnia in te habeo, quin curro ad te ut cervus ad fontes aquarum? quid me retinet? an hominis gratia? an creatura fallacia? Ecce transeunt omnia instar floris, & roris, & sumi, & vaporis ad modicum parentis. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient, neque amor tuus, ut spero, erga me, unde mihi sitiienti irriguum est superius & inferius, & bonorum abyssus, cum creata omnia sint instar pucti, arena, gutta, stilla amaritudine plena: In te est, quidquid oculus vidit, aut auris audivit, aut in cor hominis descendit: omne delectabile, omne desiderabile sine termino, modo, & mensura. Iesus millevius ad nos venit.

Et hæc coram habeo, & possideo si te amo, neque necesse habeo optare ut quidquam videam, habeam, audiam, gustem, si gusto & video te, quoniam suavis es. Non me torquet desiderium, si te amo, desiderium collium aeternorum; non me affligent publica vel privata mala, sed te stringam & amplectar sincerum & omne bonum; non vivam sollicitus, aut quidquam optabo feri mihi dici, cogitari, aut aliquo malo liberari, vita mea est & solatium ut fiat voluntas tua, cumq; futura sit ea, semper securus ero, quid serus vesper vehat, quid pariat dies. Tu enim stas super custodiam meam, & placet mihi magis ordo rerum quem elegisti ab aeterno, quam insipiens votum meum; malo ut fiat quod manus tua & consilium tuum decre- Vanitas rerum.

In Deo omnia.

Resignati beatitudo.

Isaie 21 &
Habac. 2,
Rom. 3.

decre-

Iob. I.

decreverunt fieri, quàm ut impleatur cœcum desiderium meum quod torquere solum me potest, si aliud me rapiat, quàm in tui amorem.

Quomodo
sit Deus
amandus.

Sed quomodo id poterit fieri ut aliud præter te amem? si vitam amo, tu vita mea es, & cum stare coram iudice Patre tuo mortis reus dedisti mihi vitam tuam, & chirographum mortis delevisi; si amo potum, adstas mihi fons vitæ. & ne sitiam de corde tuo fluit mihi sanguis tuus flumina aqua viva, & in aceto dolorum propinas mihi cor tuum liquefcens amore meo; si cibum concupisco, tu panis omne delectamentum in se habens, confortans cor hominis, si amo amantem me, cur non magis te qui amasti me plusquam te? cum enim decretum esset ut biberem calicem mortis rapuisti eum de manu mea, & ultro bibisti; cum nudandus essem, sponte nudatus & pro me flagellatus, & coronatus, cum soluendo non essem solvisti novissimum quadrante morte tuâ, & ultimam sanguinis guttam dedisti mihi: ô Occurrite bonorum, ô abyssus amoris! amo te toto corde meo, & amare te volo in æternum, & aut esse nolo, aut amare te ex nunc in æternum. Amen.

In Deo
omnia.

Nota.

Aspira, ut sup. Hæcine firmâ fide, ut sup. pag. 8.

Praxis eorum qua post meditationem faciendâ sunt, ac primò de Distractionibus, & earum remediis.

Thren. I.
Vnde men-
tu instabili-
tas.
Eccles. 10.

PECCATUM, ait Propheta, peccavit Ierusalem propterea instabilis facta est, peccavit utique & anima nostra, atque instabilis facta est, abiitque vaga post amatores multos & concupiscentias suas; ita ut nullo loco conquirere possit, sed in varias partes distrahatur. Cum verò distractio hæc, animique evagationes velut muscæ morientes perdant omnem suavitatem unguenti seu orationis, utilitatemque ejus non parùm impediunt, studiosè remedia adhibenda sunt. Quomodo enim, ait Cyprianus, te audiri à Deo postulas cum te ipse non audias: Vis Deum esse memorem tui cum rogas, cum tu ipse memorem tui non sis! hoc est vigilare oculis, corde dormire, cum debeat Christianus etiam cum dormit oculis, corde vigilare.

Cyprian de
orat. Domi-
nica.
Distraçtio
quam sit
indigna,

Primum

Primum ac præcipuum est, ante orationem animum servare collectum. Quales enim orantes volumus inveniri, tales nos ante orationis tempus præparare debemus; ex præcedenti enim statu mens atque animus in supplicatione firmatur, eo autem id diligentius est faciendum, quia oratione velut aquæ ductu gratiarum aquæ ad nos dimanant, atque adeò nihil est quod proinde dæmones horreant magis, nihil quod magis contentur impedire.

Secundum verò remedium, ac præcipuum est, præter præparationem, de quâ dictum lib. I. cap. II. præsentiam divinæ Majestatis retinere, vivamque ejus fidem crebrò excitare, ac magnâ reverentiâ, etiam exteriori coram illâ atque curiâ ejus stare, tamquam spectaculum facti simus mundo, Angelis & hominibus. Quòd si coram Ven. Sacramento orare possis, id etiam facito, siu verò id non licet, versus illud ubicumque quis sit sese convertere pium atque utile est; cum etiam in orando ad templum se convertere Israëliticus populus à Domino edoctus fuerit. Ad reverentiam pertinet valdè quieto esse corpore, & simul imaginationem certo loco per compositionem loci, de quâ actum pluribus, alligare.

Tertiò, observa tria nos in oratione distrahere, præsentia, præterita ac futura. Præsentia maximè tum, quando affectum ad se trahunt, inquietos efficiunt, & curiositate distrahunt; ideoque solitudo, quies & sensuum custodia maximopere commendantur. Præterita verò nos impediunt, si quando aliquid malè gestum fuit, vel accidit ingratum: hæc enim pertractare secum animus & retractare solet eò quòd prius ut se inspiceret non conquieverit. Si quis igitur inter orandum quietem quærat, examinet se priusquam ad orationem accedat, contritionem excitet, & de singulis decernat. Primò, nihil esse omnia præ studio placendi Deo, & ejus voluntatem implendi, atque ita nihil se velle cogitare aliud, quàm id quod divinæ majestati gratum; nolle pro incenso & odore suavitatis offerre scientis & vilis animæ exhalationes, curas scilicet ac cogitationes vanas, inutiles, turpes & malas. Studiosè autem sibi persuadeat ac firmiter credat, perdere se, atque impedire negotiorum successum, si de iis cogitet, cum per istos defectus & intellectus tenebræseat, & voluntas tardior fiat ad bonum; & gratia Dei, lux nostra ac robur nostrum per eos impediatur. Si sic egerit, & nihili præ Deo, ejusque honore fecerit omnia, certum quòd facilè rerum mundanarum obliviscerur, ut solemus alia contemptibilia & res nihili difficilè recordari. Ne ergo solitudo in oratione animu pun-

*Cassian c 9
cap. 2.*

*Quomodo
speranda.*

*Orationis
præsentia.*

I. Cor 7.

Coram Ven.

Sacramento

oratio fru.

duosior.

*Tria in ora-
tione distra-
hunt.*

*Remedium
distractionis
examen
ante oratio-
nem.*

*Nota nego-
tia retardari
distractione.*

gat,

*Greg. lib. 10
Mor. c. 16.*

gat, salubre; ait Gregorius remedium; ut, cum se mens ex memoria culpæ reprehendit, hoc prius in oratione descat, quod erravit, quatenus cum erroris maculâ fletibus tergitur, in petitione sua cordis facies ab auctore munda videatur. Et rursus semper ante orationis tempora debet sollicitè conspici quidquid potest in oratione reprobari.

*Sollicitudo
projicienda.*

Si quid igitur alicui occurrat non ritè à se factum; & quod emendare oportet; firmiter credat & statuatur, id se divinâ gratiâ corrigere solum posse, ideoque omnem sollicitudinem in Dominum projiciendo, toto animo ad devotionem incumbat, neque admittat ullam de ea dum orandum est, cogitationem; quandoquidem eam suscipere sit avertere se à Deo adiutorio unico nostro, & luce (qua autè omnia indigemus) animam nostram. Sicut ergo vanum est volenti scribere, ante lucem surgere, vanum absque Domino aedificare (ut Psalmista verbis utar) ita lógè vanius lucem necessariam & virtutem ac robur excludere ad res gerendas. quod sit quoties anxii de rebus agendis fenestram, quâ lumen intrare oportebat, distractione occludimus, cum Deum illâ offendamus, qui nobis lux, & virtus, & sapientia est. Si igitur gratiam ab eo poscimus, omnem sollicitudinem nostram in eum projiciamus, ut ipsi sit cura de nobis.

Psalm. 126.

Lux necessaria excluditur oratione distracta.

Decernat Secundò, si quid perperam factum sit, contritione, ut initio monui, excitatâ, nihil anxie cogitationis, diffidentiae, vel tristitiæ admittere, sed Deo supplicet, ut pro suâ paternâ providentiâ omnia disponat, quæ videt ex illo quod à nobis dictum, aut factum emanare posse. Quod factum semel est, infectum esse nequit; sed ut perinde sit atque infectum, & nobis etiam mala nostra cooperentur in bonum, id solius Dei est, ejusque potentiae, sapientiae, & immensæ bonitatis.

Circa praeterita quid agendum.

Quid de futuris agendum.

Nunc quod attinet ad futura quæ aut agenda nobis forsitan, aut patienda erunt, ad utraque gratiam nobis necessariam esse constat. Quomodo verò impetrabimus, siue quid negotii tractandum, siue concio habenda, aut publicè quid dicendum aut scribendum sit, nisi attentâ ac humili prece, ad eò ut omnis cogitatio de te futurâ importunâ, vel non necessariâ, sit divinæ lucis, uti dixi, obstaculum, fontis gratiæ obstructio, rei illius quam paras maximum impedimentum. Si autem quid times? nullum asylum certius, nullum refugium, quàm protegi sub umbrâ alarum Domini: sic aram sacram tenere, & in protectione Dei commorari. Sit ille igitur timor tuus, & spes tua; solus enim omnia facere Dominus potest, &

cum

cum voluerit, & placuerint ei via nostræ, inimicos nostros convertere ad pacem.

Vides quàm firmo atque utili decreto, omnis cogitatio de præterito, præsentis ac futuro excludenda sit. Verumtamen id nequaquam sufficit fragilitati nostræ, sed in oratione, si distractiones occurrerint, primò leniter (non autem cum detestatione) avertendi oculi mentis nostræ, ne videant vanitatem, ac quemadmodum si erravissetus à via, in eam statim, & locum propositum redeundum est. Quid si turba phantasmatum instet? numquam tamen cedendum hosti: sed oculos ad Deum attollere mox oportet, pluribusque rursus fides vivificanda divina præsentia: si neque id sufficit, ea quæ jam diximus de præteritis & futuris per interrogationes expendenda sunt. v.g. percontetur ex se.

Quorsum ista cogitamus coram te, Deus meus; cum id quod factum est, tu solus ut velut infectum sit, efficere possis: quod faciendum verò, tu solus perficere, qui omnia in nobis operaris? Quomodo igitur avertar à te unica spes mea? nonne hæc sollicitudo mea est injuria tua? & prodesse mihi non poterit? an facere possum quidquam absque te? Certè si beneficium accipis, anima mea, quoties cum Deo loqui permitteris; quomodo ei injurias dicere audes? Cogitatio enim nostra, locutio nostra: tunc sic mancipio loquerere ut modò Deo? quid si hæc homines audirent quæ veras animo? Itane tibi vilis, coram quo tremunt potestates? usquequo provocabis iram ejus, qui ecce post tot evagationes tuas præ amore provocari ad iram non posse videtur, verè mitis & humilis corde?

Præterea est utile fingere se alterum à se, sibi que quasi concionari, vel cum Deo, Sanctis, Patronis, aut Angelo Custode de suis animi corporisque miseriis tractare, & vicissim quasi audire respondentem, ut in Echone audienda fieri solet. Quando autem animus longo tempore distractus est, aliquo recessu unius vel paucorum dierum, eum ad se revocare, vel saltem crebrioribus per diem orationibus valde conducit. O infelix illorum fors, quorum vita ita negotiosa est, ut tamen coram Deo sit otiosa; eò quòd mundo & negotiis ita tota tribuatur, ut vix è die horam, è mense diem, ex annis hebdomadam sibi, & saluti negotio tribuere queant!

Observa etiam Primò, non mediocriter attentionem juvare, quæcumque ad pacem animi impetrandam pertinent; uti etiam, cum secundo successu oratio fluit, humilitatem conservare: ideò enim sæpè consolatio in oratione adimitur, quia per illam anima sui ignara inflatur, itaque evenit quod Salo-

*Quomodo
in oratione
distractionibus
resistendum;*

*Questiones
utiles contra
distractiones*

*Finge te aliud
à te.*

Echo spiritalis.

*Infelix qui
vacat aliis
plus quam
sibi.*

*Humilitas
laudanda.*

*Prov. 25.
Serm. 54.
in Cant.*

mon ait: **Qui mel multum comedit, non est ei bonum.** In quam rem sanctus Bernardus appositè: **Superbia, inquit, inventa est in me, & Dominus declinavit in irâ à servo suo:** hinc ista sterilitas animæ meæ, & devotionis inopia quam patior, non compungi ad lacrymas queo, non sapit psalmus, non legere libet, non orare delectat, meditationes solitas non invenio. ubi est illa inebriatio spiritus? ubi mentis serenitas, & gaudium, & pax in Spiritu sancto? Post hæc sic rursus scribit: **In veritate didici, nihil æquè efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm si omni tempore coram Deo inveniaris non altum sapere, sed timere.** Beatus homo

*Prov. 28.
Tres timores
utiles in ani-
mata.*

qui semper est pavidus. **Time ergò cum amiseris gratiam, time cum abierit, time cum denuò revertetur: & hoc est semper pavidum esse.** Succedant vicissim in animo tres isti timores, secundum quod gratia vel adesse dignatur, vel offensa recedere, seu iterum placata redire sentietur. **Cum adest time, ne non dignè opereris ex ea.** Videte, inquit Apostolus, **ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.** quid si recesserit, num multò magis nunc timendum? planè multo magis: quia ubi defecit tibi gratia, deficis tu. **Time ergo subtractâ gratiâ, tamquam mox casurus: time & contremisce Deo tibi, ut sentis, irato: time, quia reliquit te custodia tua.** nec dubites causam esse superbiam, etiamsi non appareat, etiamsi nihil tibi conscius sis: quod enim tu nescis, scit Deus, & qui te iudicat, ipse est. Numquid qui humilibus dat gratiam, humili auferet datam? Ergo argumentum superbiæ, privatio est gratiæ, quamquam interdum subtrahitur gratia, sive retrahitur, non pro superbiâ, quæ iam est, sed quæ futura est nisi subtrahatur.

2. Cor 6.

*Superbia
gratia nos
privat.*

Secundò observa, quod etsi aliqua ex iis quæ dicta, in oratione mentali ferè solum usui sint, in vocali tamen pleraque etiam valent, ac præterea in eâ expedit sæpè animum elevare, maximè initio & fine Psalmorum autem singulos certo fine atque intentione, varioque etiam situ pio ac decenti; ac variis cum Patronis, ac Sanctorum choris recitare.

*In vocali
oratione quo
modo atten-
tio fovenda.
Inspiratio-
nes annotã-
de triplici
causa.*

Observe Tertiò, valdè utilem esse praxim quorundam, qui inspirationes sanctas & illustrationes ac desideria annotant. Et verò id maximè juvat; Primò, quia sic Domino placuisse testantur Sanctorum scripta: quibus ut id facerent, ac donorum rationem haberent, mandavit; Secundò, ut in tempus ariditatis, præteritæ irrogationis cælestis aquæ, verbis spiritu plenis, velut cisternâ fideli asserventur: itaque fieri ut reliquæ cogitationis sanctæ diem festum agant in animâ nostrâ. Id se spectasse in Manualis sui descriptione S. Augustinus fa-

terur.

retur. Tertiò, quia proposita scripta, uti contractus in humanis, plus habere videntur firmitatis, plus verecundia & pudoris, dum iterum leguntur & negliguntur. Modus itaque scribendi erit, verbi gratiâ. Gratias tibi ago Domine, quòd die 25. Decemb. 1619. dignatus fuisti aperire precium paupertatis tuae; quam cum esses dives, propter me assumpsisti, ut erudires me, &c. Propono igitur per gratiam tuam (nihil enim possum ex me) pauperes hodie tali occasione N. & deinceps eleemosynâ spirituali & corporali sic & sic juvare, pauperes ullos amicos non averfari, sed contrâ eos præ aliis solari. Vtinam dirigantur viae meae ad custodiendas justificationes tuas.

Modus scribendi illarationes.

Psalm. 116.

Observe Quartò, ut sæpius dictum, aliquam jaculatoriam esse assumendam, quâ quis meditationis fructum ruminare, & conservare ignem, quem in meditatione suâ exardescere dicebat David, per diem possit. Quales hic tibi subjicio cuius pio desiderio fovendo accommodatas.

Psalm. 36.

Dignatus es, ut sup. p. 10.



Aaa z

Iacuz

LACVLATORIE,

*Quibus cuiusvis Meditationis fructus ruminare
Asceta per diem poterit.*

- Pfalm. 15. *N*Oras mihi fecisti vias vite, adimplebis me latitiâ cum vobis tuo, delectationes in dextera tua usque in finem.
- Pfalm. 18. *C*ognovi Domine, quia aq̄itas iudicia tua, in veritate tua humiliasti me.
- Ibidem. *I*n justificationibus tuis meditabor, non obliuiscar sermones tuos.
- Pfalm. 76. *E*t meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinventionibus tuis exercebor.
- Pfalm. 17. *E*t ero immaculatus cum eo, & observabo me ab iniquitate mea.
- Pfalm. 61. *N*onne Deo subiecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum.
- Pfalm. 35. *D*educ me, Domine, in via tua, & ingrediar in veritate tua, letetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

FINIS LIBRI SECVNDI.

